27

Q. D. B. V.

SPICILEGIUM PYRETOLOGICUM,

Conſenſu
Gratioſæ Facultatis,

PRÆSIDE

RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO,

Philoſophiæ & Medicinæ Doctore,
Hujus Profeſſore Ordinario,

Præceptore ſuo Venerando,

Amico Commilitonum Examini
ſubmittit

CHRISTOPHORUS BURCKHARDUS
Hirſchmann / Stutgardianus.

In Auditorio Medico

ad d. mart. hor. mat.

TUBINGÆ
Typis JOHANNIS GRÆZII,
Anno MDCCV.

Σ. Θ.

QUandoquidem diſputandum eſt, nec id modò, ſed & elaborandum thema, quod in diſputationem venire poſſit, quapropter arriſit inprimis argumentum, benè jam, nec tamen ſatis, diſputatum, placuitque ex ſcriptoribus Medicis vocare in partes, quos inter rixarum & litium eſt plurimum. Scilicet mala febrium, quæ nuper Tubingæ incubuit, cohors, Pyretologiæ ſubjectum, cauſam, & potiorum rationes phænomenorum admonebat multis & magnis omnia premi difficultatibus. Accedebat principum in arte virorum deſuper conſultorum deprehenſus diſſenſus, ultra quàm par videtur progreſſus. Inprimis enim illud ſcholarum ſui temporis flagellum, *Ioh. Bapt. van Helmont*, legitur examen valdè rigoroſum & exquiſitam cribrationem inſtituiſſe ſententiarum, quas coluit antiquitas, relictas à *Cl. Galeno, Pergameno*. Nolim modò hujus partes tueri, aut de febribus ex profeſſo agere, ſed potius operæ pretium duxi, ſpicilegium modò quoddam inſtituere, & per modum alicujus paralleliſmi potiores utriusque theſes proponere: Scopus ſive ſperandus uſus erit, præter clariorem de febribus conceptum, diſcere, num opus ſit explodere veteres cum ſuis ſententiis, an præſtet retentas emendare, perficere; an planè aliæ & novæ ſint, quæ ſubſtituuntur prioribus; an etiam in hoc paſſu poſſibilis ſit, quàm ſunt qui

 optant

optant & ſperant, medicina conciliatrix. Utar proin verbis Autorum (vel Interpretum) propriis, manebo intra terminos famoſæ illius bigæ, (interveniet tamen *Ioh. Fernelius*, *Ambianus*, ob cauſas dicendas) & indicabo libros & capita, ut ſi cui lubet poſſit recurrere ad fontes: Monendum itaque, me uti editione operum Helmontii in folio excuſorum Lugduni per Huguetanum, item operum Galeni in folio, quæ prodiit Venetiis apud Juntas; In gratiam autem Benevoli Lectoris, ſiquidem, ab aliis doctus vel proprio cum tædio expertus, nimiam metuat Galeni prolixitatem, hoc addo, proſtare Epitomen operum Galeni, quam digeſſit *And. Lacuna*; hæc meretur evolvi, nam complectitur pulcherrima methodo univerſam illius viri doctrinam. Quod ſi denique præjudicium quem teneat, ut ægrè ferat reproduci Galenum, tanquam cujus in ſcholis recentiorum dudum fere extincta ſit memoria, illud ego hîc non declinabo, ſed ut ipſe prius perſpecto ſpicilegio num dignus ſit citari judicet expectabo. Series ergo theſium pathologicarum, quæ merebantur excerpi & conflictui academico deſtinari, eſt hæc:

HElmontio Archeus uti omnium noſtrorum motuum cauſa, ſic etiam morborum faber eſt, &, quidquid in ſanis edit actiones ſanas, id ipſum in morbis edit actiones vitiatas. Sive jam Febris ſit ipſa pars materialis indignatione deturpati archei, ſive reliquæ partis thymoſis, quantum ex Ipſius *Febrium Doctrinâ Inauditâ* perſpicio & colligo, res huc redire videtur: Illud Hippocraticum, quod in nobis impetum facit, eſt cauſa principalis, agens internum, propter vel contra cauſam dicendam occaſionalem, quam ut noxiam vult expellere.

Galeno Natura motuum febrilium cauſa eſt, quà laceſſitur à cauſis materialibus; Oſcitatio enim, pandiculatio, horror, rigor ſunt Ipſi naturæ opera, quæ tamen à morbosâ quâpiam cauſâ violenter moveri ſit coacta. Quid illa ſibi velit Natura, ipſe

ex-

explicat, profeſſus, hoc nomine ſe nihil aliud intelligere, quàm omnem facultatem; quæ animal ſive voluntatis nutu, ſive citra hunc, regit: omni ergò cauſæ præternaturam, cujus vitio læditur & corrumpitur animal, totum illud facultatum genus, cujus beneficio ſervatur, ex adverſo opponit, *libro de ſymptomatum cauſis ſecundo, capite primo.* Hæc eſt illa Natura, quam morborum medicam explicat in *comm. libr. ſext. ſect. quint. epid. Hipp.* ubi declinat quæſtionem, quænam ejus ſit eſſentia, ſicuti & de noſtrâ animâ; præſupponens modò vim quandam in his ipſis corporibus quæ ab eâ reguntur, inhabitantem; quam in actibus ſuis vitalibus admirandam, ut ut à nemine doctam, exemplo illuſtrat *d. loc. aff. l. 6. c. ult;* & de quâ *libr. 3. d. cris. c. 8.* adverſus Aſclepiadem plurima urget, quòd ſit, quòd agat ad animalium ſalutem, quòd certet contra cauſas, quæ morbos faciunt, expellat ſuperfluitates; quòd potentiæ, quibus gubernatur animal, omnia ad ſalutem faciant, tam in ſanis, quàm & in ægrotantibus; quòd ipſæ ſint, quæ morbos judicant.

Helmontio cauſa occaſionalis eſt alimentum ſub ſanguinis aſſimilatione & transmutatione degenerans, vaſi vel parti adhærens, adnatum, pertinax, glutinoſum; poſtulans inciſiva. Origo ejus eſt vel ab ingeſtis & malè digeſtis, vel ab excrementis non ritè ſubactis, aut ſegregatis, vel à perturbationibus animi, ab archei conceptibus, & conceptuum exorbitationibus; Sive, degenerat alimentum admiſtione rei extraneæ, vel impreſſione peregrinâ, vel demum errore indignati vel avocati archei; *d. febr. cap. 4. 11. 16.* Bilis autem, ſcholarum fictus humor, & fel, ſingulare hepatis fermentum, non eſt cauſa; Sed pylorus ab archeo propter cauſam occaſionalem pertinaciter clauſus, ex detentis procreat flava & amara excrementa, quæ hactenus fellis imagine incautos deluſere, illaque elidit abundè fruſtra, & citra ſublevamen: Aut, fel præpoſitum mutationi chyli acidi in ſalſum, jam præpoſtero negotio chylum in amarum recrementum convertit, cujus expulſioni archeus intentus eſt, quod etiam excutit non raro, ſed ita, ut mox iterum præſtò ſit quod noviter contaminatur, quia eſt productum in febribus excrementum, non autem mali radix occaſionalis; *d. febr. c. 17. 9.*

Galeno cauſa illa, quæ naturam cogit moveri, eſt excrementum mordax, bilis putreſcens, (nam intermittentis tertianæ po-

 tius

tior habebitur ratio) paſſim per omnes galeni libros accuſata, quæ verò *d. temper. lib. 2.* duplex proponitur, vel ex jecinore in ventrem defluens, vel genita in ventre, ceu bilioſum excrementum, (mutata ex concurſu ſuccorum in primis viis variè, aut nidoroſa cruditas.) Undè facile corripiuntur febribus, quibus acrimonia mordax ſuperfluit, aut qui naturâ vitioſos habent humores, aut ſæpius cruditate vexantur, maximè ſi poſt ejusmodi cibos aquam vitioſam biberint, ſi nimis aut intempeſtivè laborarint, ſi balneis uſi ſuperfluis, ſi malè difflentur, nec purgentur, ſi medicamenta acuta jugiter ſumſerint, ſi ſupra modum vigilarint, cogitarint, iracundiâ commoti fuerint, &c. *diff. febr. l. 1. c. 3.* Familiares tertianæ cholericis, in ætate vigenti, tempore æſtivo, loco calido & ſicco, à laboribus, curis, vigiliis, æſtu, victu tenui, calido, intenſis cogitationibus, *d. art. curativ. l. 1. c 5.* Non ergò ſolùm humor frigidus, melancholicus, acidus, quem quartanæ adſcribit, ſed & calidus rigoris cauſa eſt, quà acris, mordax, vehementer agitatus, & delatus per partes ſenſiles, *de rigor. cap. 7.* Etenim tertianæ febres omnium maximè calidæ omnium maximè horrore infeſtantur, quantoque ſinceriores ſunt, tanto etiam rigor in eis accidit vehementior. Favet ergò juxta finem *l. 2. diff. febr.* brevitati caliditas, ſubtilitas, raritas, robur, frigiditas autem, tenacitas, habitus denſior, facultas infirma longitudini.

Helmontio nidus febrium in primis eſt officinis, extenditur ſcilicet à pyloro per duodenum, per vaſa ibidem multiplicia, inteſtina item, venas meſenterii, usque ad lienem, hepar; Ibi eſt concurſus non modò alimenti malè digeſti & degenerantis, ſed & entis neſcio cujus anonymi, ſcoriæ, ſtercoris liquidi, quod cauſam atrociorem febrium continuarum prætendit, *cap. 10. & 17.*

Galeno quartana ex malè affecto ſplene gignitur, ut tertiana ex affectu jecinoris, *art. cur. l. c;* Et *diff. febr. l. 1. c. 3.* qui bonos habent humores, ac benè difflantur, & quieverunt, & quæ circa ventriculum atque hepar ſunt, foverunt, his febrire eſt impoſſibile. Nam in iisdem reſidet ventriculi atque hepatis partibus, quod corruptum eſt, ac paulatim coquitur. Alibi jecoris & ventriculi flammeis diſpoſitionibus ſuperuenientes tribuit ardentes febres, ex quarum genere Ipſi eſt tertiana, iterumque alibi cauſæ

gnarus

gnarus non miratur in febribus, quæ ex hepate accenduntur, ordinis proportionem. In genere *de cauſ. ſympt. l. 2. c. 5.* motûs bilis delationisque quæ per ſenſibilia corpora agitur, ſimul & ſymptoma & ſignum eſt rigor; ſermo autem Ipſi eſt ibidem de ſucco, qui fertur non in venis & arteriis, ſed per carnes & habitum corporis, & omnia, in quæ incidit, pungit, ſtimulat, dividit, ac vulnerat. Partium autem corporis, in quibus bilis conſiſtit, unaquæque à ſe ad vicinam excretrice alienorum facultate propellit illam acrem; uſque dum ex omnibus abacta, per ſudores, aut vomitus, aut etiam per alvum fuerit excreta; *de rig. c.7.* In ardentium rigore ſi decretoriè per carnes ad cutim truditur bilis, ſudore liberantur; ubi verò non ad cutim, ſed ad interna loca bilis impetum capeſſit, per vomitiones ſimul & alvum vacuatur; non rarò autem ſimul intrò foraſque eodem die delata eſt, ita ut ſudata ſit, & vomita & dejecta; *de ſym. cauſ. l. 2. c. 5.* Confer. *comm. ad aphor. 58. ſ.4.*

Quia tamen epidemia interdum obſervatur intermittens, an huc ſpectat ſubjectum illud febribus populariter graſſantibus adſcriptum ab Helmontio? ſcilicet convexum ſtomachi, in quo terminentur & imprimantur inſpiratæ cum aere exhalationes rerum, proditoriè & inſenſibiliter vitam noſtram ſuffurantes, tranſmutando ſextæ digeſtionis alimentum; *de febr. c.10.* & *l. de inſpiratis.*

Galeno, quorum corpora ſunt ad patiendum apta, iis ipſe aer inſpiratus fit febrium cauſa, in quo ſc. putredinis principium eſt, à cadaverum multitudine, ab exhalatione lacuum & paludum, vel ad quem aliunde fluxere putredinis contagia, aut peſtilentiæ ſemina. Non autem omnes à ſole, vino, motu, irâ febricitant, nec omnes peſtilentiâ corripiuntur, quia præter potentiam, quæ ab extra venit, neceſſe eſt ut concurrat corporis habilitas. *Diff. febr. l. 1. c. 4.*

Cit juxta Helmontium rigores Archeus, non materia febrilis: Sic namque & in oſſium exarthroſi dentes quatiunt, & rigores ſubnaſcuntur; itemque dum prægnans abortum non vitalem præcociter expellit, *cap.9.*

Obſervat Galenus horrorum extra febres exempla, & profert cauſas quaſdam notorias, *l.2. d. cauſ. ſympt. cap. 5.* ſi ſano corpori ferventem aquam ſubitò infundas, aut ignis ſcintillas incutias,

tias, ſtatim horrore vexabitur. Et *de rig.c.7.* Acre & calidum medicamentum ulceri admotum primum ſanè dolorem infert, mox horrorem, dein rigorem excitat. Ac multos novimus tum riguiſſe, tum febricitaſſe, ob ulcera ab acribus medicamentis irritata. Jam & inflammationem, cùm in abſceſſum mutatur, rigorem horroremque comitari neceſſe eſt.

Helmontius archei blas alterativum abſolvit frigore & calore, hyeme & æſtate. Similis in rigore eſt archeus araneæ; quæ ſuos quatit caſſes, ut excutiat peregrinum, quod in illos incidit: Ita pars in præcordiis, cui inſidet materia febrilis, primùm ſe contrahit in rugas, excuſſura ſibi adhærens excrementum. Huic autem parti obſeſſæ à conſenſu collaborat totum genus venoſum, arctatur cum ſociis arteriis, contrahitur pellis & membranæ criſpantur, rugantur, muſculi trepidant, (nam peculiarem ſenſum & motum habent, per quem pro neceſſitatibus ſe tendunt ſuo ſpaſmo, inſciâ vel invitâ voluntate, *tr. vita multipl. in hom.*) Inde rarus, durus, atque minutus fit Pulſus, frigoris index ac opifex; *de febr.cap.9.*

Hyemi jam olim Plato comparavit principium febrium: Hoc enim nomine Ipſi veniſſe frigiditatis in rigoribus ſenſum docet Galenus, *d.rig.c 7.* adducto textu, quo geneſin febris ſibi concepit, & in illâ quidem hyeme congelatam & reſtinctam vim ſanguinis. Definitur autem *loc.cit.cap.6.* rigor Perfrictio dolorifica cum quâdam inæquali totius corporis concuſſione & agitatione; At Horror dicitur talis cutis affectus, qualis totius corporis rigor. Quemadmodum ergò materia irritans dicta fuit excrementum mordax, ſubjectum paſſionis partes ſenſiles, & inſtrumenta partes contractiles, ita ſcopus eſt illud excutere, ſed magnus tum labor eſt. Juxta enim *cap.5. l.2. ſympt. cauſ.* facultas expultrix eſt non modò contentorum è cavo ſtomachi, ſed & excrementorum in partibus, quæ naturaliter exhalant, ſi p. n. conſiſtant & moveantur, tunc angitur natura, & expellere feſtinat, partium contractione, conſtrictione, & ſingularum protruſione. Notabiles hinc *d.rig.c.7.* deducuntur effectus: ſanguinis ad interiora inclinatio, & bilis ſurſum vel deorſum excretio. Conflictatur, pugnat per rigores contra ea, quæ infeſtant, facultas, donec radicitus evellantur, excutianturque.

Pulſuum

Pulſuum hinc ratio redditur à Galeno: *De morb.temp.c.3.7.* pulſus in rigore durior & minor eſt, compreſſio inſultûs febrilis cum contractione fit, ſcilicet in frigore, quo tempore pulſus intus magis movetur, cum parvitate, ſanguine in viſcera ſe recipiente. *Diff. febr. l.1. c.7.* incipiens acceſſio habet pulſuum Θλίψιν, i. e. afflictationem ſeu compreſſionem: Etiam ubi humor aliquis vitioſus in ore ventriculi fuerit acervatus, qui ipſum aut mordeat aut refrigeret, parvi ſimul atque inæquales fiunt pulſus, & parvitas quidem in frigidis, inæqualitas verò in mordacibus accidit; at ubi evomuerit, hæc ambo protinus ceſſant. Cùm verò ipſe ventriculus omni noxâ vacat, ad febrium putridarum genus ſpectant hujusmodi pulſus. Et *lib. 3. d. præſag. ex pulſ.* ubi ſyſtolen diaſtole celeriorem pathognomonicum putridarum urget, compreſſas febrium invaſiones adducit, in quibus pleroſque unum ex his vel plura comitantur, rigor, horror, inæqualitas, frigus ſuperficiei, aut vellicatio, gravitas, compreſſio ſtomachi, aut paulo poſt vomitus; qui apertè declarat, ex eo, quòd in ventriculum vitioſi ſucci confluxerint, quoſdam illorum vellicatos eſſe, alios compreſſos, aliquos nauſeaſſe. Clariſſimè enim recedit in plerisque initiis de totâ ſuperficie externâ ſanguis, confluitque in viſcera, unde compreſſiones & obſtructiones fiunt, diſtentionesque arteriarum præcipuarum; propter quas initiis talium acceſſionum conjuncti ſunt pulſus inæquales, quemadmodum & languidi ob ſtomachum & facultatem affectam, & parvi ob imbecillitatem facultatis & frigiditatem.

Plerique morientes in febribus intermittentibus pereunt ſub acceſſum febrilem in rigore, ſpirituum penuriâ, ac velut ſuffocati; Helmont. *de febr. c.1.* & *blas humanum* §. 28.

Dum ſanguis in alto eſt, calor vel extinguitur, vel ſuffocatur, ut emoriatur animal, vel reſiſtit & repercutitur: Mori in acceſſionum principiis contingit vel in magnis inflammationibus principalium membrorum, vel ob humorum multitudinem, craſſitudinem & tenacitatem: Galenus *d. rig. c.7.* & *d. criſ. l. 3.* His adde *comment. aph. 48. ſ. 4.* Quandò aliqua fortis inflammatio in corporis parte profundiori vel eryſipelas evenerit, totus ex toto corpore ſanguis ad locum trahitur patientem, atque adeò uruntur profunda, cutis autem refrigeratur, ut fit in principiis acceſſionum. Idem in *comm. aph. 1. ſ. 7.* habetur caſus ſatis exitialis, qui accidit (non

tam magnis, quæ externam ſuperficiem exurunt, ſed) vehementiſſimis viſcerum inflammationibus: Tum calor ad ſe trahit per modum cucurbitulæ ex toto corpore ſanguinem. Sic dum viſcera peruruntur, extremæ partes frigeſcunt, propter defectum ſanguinis ad viſcera ſe recipientis. Et horum pleriq́ue neq́ue tegumenta tolerant propter incendium, quod in viſceribus ſentiunt. His conformis eſt paroxyſmi geneſis ex *2. diff. febr.* concipienda talis: Superfluitas quantitate vel qualitate moleſta futura febris cauſa vel mittitur à firmiore in infirmam, vel generatur & ſervatur in ipsâ parte, ob infirmitatem expellendi, vel impotentiam ob obſtructionem. Talis putredinem concipit, inde calor. Ubi accenditur atq́ue augetur caliditas, illuc ab aliis partibus ſanguis ſolet confluere. Quo igitur tempore confluit, illas quidem privari ſanguine eſt neceſſarium, quod verò patitur membrum gravari & diſtendi; Ipſumq́; confluentem ſanguinem alterari, & quod aliis quæ jam putruerunt ſuperfluitatibus permiſceatur, & quod difflari, utpote impactus, non poſſit. Quod totum eſt acceſſionis principium.

Calor Helmontio eſt à ſpiritu cauſaliter, occaſionaliter à ſpinâ, à materiâ febrili, *cap. 1. §. 28.* Scilicet archeus, quia per rugas rigoris nil proficit, excitat blas alterativum, quidlibet motitat, ſe ipſum accendit propriâ thymoſi, & calore ſuo ad gradum ſupra exigentiam deducto, in quo totus eſt moleſtus, quatenus ſupra ſuæ exigentiæ amplitudinem eſt delatus, *cap. 9.* Unde calorem non ita metuit Toparcha Merodanus, cùm obſervet lethales & peſſimas febres vix calere, *cap. 12.* & nequaqum formidat hoc ſenſu febrem increviſſe, eò quod archeus fortius inſurgat ad expulſionem radicis febrilis, illam autem febrem adauctam horret, quam ſymptomata lethalia adaucta ſequuntur. Aliàs caloris noſtri geneſis eſt à motu cordis & concuſſione pulſuum, à ſanguine arteriali, partim ſalſo, partim pingui ſulphureò: Spiritus ſalſi volatiles & ſulphur ſanguinis in thecâ cordis per pulſum ſeſe confricant, & accenditur lumen formale cum calore in ſpiritu vitali, *tr. in ſole tabernaculum*: Poteſtas autem quælibet, & potiſſimum motiva, facilè extravagatur, concita tam à cauſis contingentibus, quàm proprio amentiæ nutu.

Galenus ſuccedaneam hyemi platonicæ æſtatem terminis anteceſſorum ſuorum, totumque adeò negotium ita explicare ſtudet,

de

de rigore c. 6. & 7. ubi in febrili acceſſione, dum exteriora refrigerantur, cum ſanguine calorem inclinare in altum, commeare in profundum corporis obſervat: Utar, inquit, non meis, ſed veterum virorum vocabulis; connatum noſtrum calorem, intro proficiſcentem, juſtius dixeris reſilire, impelli, reprimi & confugere: foràs autem tendentem erumpere, excuti, elabi & exilire. Etenim & hæ vetuſtiorum hominum dictiones omnes probè prolatæ ſunt, & affectum quàm licet maximè manifeſtò interpretantes.

Conveniunt autem multum Galeno calor innatus, natura, ſubſtantia per ſe mobilis & ſemper, ſpiritus & impetum faciens Hippocraticum, *d. cauſ. ſympt. 2. c. 5. d. rig. c. 6.* Et gravior febris poſt rigorem urget, quàm antè, quia ex valentiore bilis motu vehementiorem accendi calorem rationabile eſt; rigor ergò non quà frigus cauſum profligat, ſed quà bilem moveri & excerni arguit. Vel, poſt rigores corpus amplius incaleſcit, quia cum ſanguine & ſpiritu repreſſus calor intus colligitur, reluctatur, revertitur foràs & expanditur, inſultu, ictu, motu accenditur, uti lignum aut lapidem atterens confricansque nonnunquam ignem accendes, & uti luctantes, currentes, confricantesque, ac alio modo ſe moventes, nihilo minus incaleſcunt, quàm ſi quis in ſole æſtivo & apud ignem incaluerit. Nec tamen hic Ipſi motus, inſurgens adverſus obſtacula, ea propellens, viasque puras reddere contendens, ſola caloris cauſa eſt, ſed & accuſata materia, diffuſa bilis, coadjuvat ad magnitudinem caloris, *locc. cit.*

Anima ſe retrahit, diffundit, ſubtrahitque motu ſibi proprio, prorſusque diverſimodè in ſomno, vigiliâ, extaſi, ſyncope, propriis perturbationibus, &c. Helmont. *tr. Demens Idea.*

Eſt etiam Galeno, citato toties *d. cauſ. ſympt. libro*, ex primis & qui maximè principalis ſunt notæ motibus ipſa naturalis caloris intrò forasque delatio, cum quo ſimul ſpiritus ac ſanguis (in quibus animæ ſubſtantia vel eſt, vel quibus ut inſtrumentis utitur) aliàs intrò & ad ipſum principium feruntur ac contrahuntur, aliàs foràs tendunt & funduntur. Licet autem motus hos evidenter contemplari, cùm in aliis multis, tum maximè in perturbationibus animæ; quas proin ad illuſtrandam pyretologiam ita deducit: Per timorem & ſpiritus & ſanguis intus ſeſe recipiunt, quo fit ut algeant partes in ſuperficie poſitæ idque adeo interdum vehementer, ut

nonnulli rigore quoque arripiantur. Per iram verò ſolvuntur ac diſperguntur, proindeque exteriora incaleſcunt. At agonia, affectus ex utriſque conflatus, inæquales habet motiones. Jam & cordis & arteriarum pulſationes & minimæ & perquam debiles in trepidantibus eſſe videntur; ſicut in iratis maximæ & validiſſimæ: at in agoniâ ſunt inæquales. Per verecundiam animalis facultas in primis quidem ad interiora movetur, ſed rurſus affatim redit ad exteriora: Nam ſi non redierit, non verecundia, ſed timor cenſeri debet. Ut autem in timore confertim, ſic in triſtitiâ paulatim ad interiora fit motus, magnitudine duntaxat ac vehementiâ, non toto genere, differentibus inter ſe pathematis. Atqui nonnulli ob ſubitum timorem perierunt, id quod ſolet contingere, ubi debilis ſuâpte naturâ animula, ſub validâ perturbatione confertim & extinguitur & ſuffocatur; Etenim extinctio affectum ex refrigeratione ortum conſequitur, ſuffocatio autem concurſum ſanguinis univerſi ad ipſum principium. At ex iratis nemo mortuus eſt unquam, utpote quibus neque calor refrigeratur, neque robur diſſolvitur. Præ gaudio autem nonnulli ſupra modum puſillanimes animam exhalarunt, quemadmodum & timentes. Jam dolor, è diverſo cogens moveri animam, haud leviora ſymptomata, quàm maximus timor, inducit; quippe laborantes decolores fiunt, refrigerantur, concutiuntur rigore, tremunt, pulſus habent minores, exolutosque, ac tandem ſimiliter iis qui perterrentur moriuntur: Nam & in iis fugit inſitus calor ad ſuum principium, animaque ſimul & ſolvitur & extinguitur. Per rigorem itaque frigus non internarum, ſed externarum partium ſentitur; ob incurſiones autem vehementes, rurſus magnâ vi calor revertitur.

Meam de ſede febrium ſententiam, ſcribit Helmontius, confirmant nauſea, præcipuè carniū, piſcium, & omnium quæ facile cadaveris inſtar olent perhorreſcentia, mox à febrium introitu, conſternata digeſtio, & cætera indicia oblæſi duumviratûs in actione regiminis; Malè quoq; tunc audiunt Ipſa famoſa carnium juſcula, quòd facilius putrefiant, quàm digerantur, minimè nutriant corpora juxta Hippocratem impura; *cap. 12. 17. & tr. victûs ratio.* Sitis autem febrientium etiam in frigore non manat à calore, ut neque à ſiccitate, prout aliàs contingit in ſiti naturali; Ideò enim nec exhibito potu ſedatur, quod regulariter fieri deberet, ſi à ſicco &

calido ſitis iſta oriretur, & non potius ab excremento, quod facultatem ſenſitivam ejusque organum male affectat, illuditque non ſecus, atque ſi repente magna ſiccitas adveniſſet. Delinit fallacem ejusmodi ſitim acidum ſulphuris, non ſecus atque aqua ignem extinguit. *cap. 1.* Et *tr. latex humor neglectus* ſitis defectus laticis deturpati vel egeſtate penurioſi eſt. At *in tr. conſ. morb. ſed.* ſitis inextinguibilis febrientium prodit non tam propriè ex materiæ acrimoniâ irritante, quàm ex ipſo ſenſitivæ furore, affligit proin non niſi in ſuis ſtationibus, licet eadem materia, imò atrocior calor, in vigore premat, quàm aliàs.

Hoc quoque tertianis cauſisque febribus adjicere poſſumus, quod quartanis non ineſt: Etenim plurimi ſitiunt, & calorem per imas partes in ipſo rigoris tempore ſentiunt; quorum neutrum in quartanâ febre rigentibus accidit. Tertianæ remittente rigore, reſolutis extremorum algoribus, æſtûs vehementis ſenſum intus eſſe & ſitis, Galenus notat *d. rig. c. 7. d. morb. temp. c. 3.* Et *de ſympt. cauſ. l. 1*: Si ſalſi aut bilioſi humoris vitio ventriculus mordicationem ſenſerit, potionem magis quàm cibum deſiderabit; denique *d. nat. facc. l. 2*: Cùm ubi plurima in ventriculo flava bilis continetur perpetua ſiti urgeamur, ſignum eſt, poteſtate ipſam calidam eſſe & ſiccam.

Tempeſtivum videtur hîc meminiſſe *Fernelii*, cui vapulat Galenus, & qui viciſſim, ut fieri amat, vapulat Helmontio. Ille *pathologiæ ſuæ libro quarto capite nono* febris intermittentis materiam non è venis in habitum corporis propelli, ſed *capite decimo* eam potius circa præcordia adhæreſcere probat. Transeant modò, quæ ſuper his diſputat *Zacutus Luſitanus* in Medicorum Principum Hiſtoriâ, illud hujus loci eſt, quòd in hoc Fernelius laudem meruerit Helmontii: Videtur tamen non difficile collectu, ex ipſis Galeni verbis, rigoris cauſam illi eſſe motum bilis etiam intrò; Inſuper concedit Fernelius, effundi de materiâ ex præcordiis vaporem tetrum in corpus, qui poſſit eſſe frigoris & horroris cauſa altera. Prorſus uti & Helmontius agnoſcit vapores acidos, indigeſtos & nidoroſos ſuſcitari è præcordiis, euntes in loca impropria, ut ſic augeant frigoris cauſam; qualis & halituoſus acor pertingat ad ſuperficiem corporis ſub frigore inſolito in eryſipelatis initio,

d. febr. Hoc tempore ita quæras : Num quid infundatur maſſæ ſanguinis, quod eam cogit, parteſque laceſſit?

Illud autem, quod in Fernelio non tulit Helmontius, eſt cauſa, in quâ non, ut in nido conſtituendo, à Galeno receſſiſſe ipſi viſus eſt, ſtramineis vinculis humorum putridorum ſe extricare non valens. Audit enim illa humor ſupervacaneus, qui è ſanguine prolectus, in propria conditur receptacula, antequam is hepar transcendat; Eſt bilis flava, affinis ei, quæ in fellis cyſti conditur, pro tertianâ, pro quartanâ bilis atra in lienem refuſa; Illa enim tota liberaliter reddita febrem omnem penitus extirpat atque ſolvit; illam etiam vomiturus rigeſcit, multoque magis, qui alienum vitioſumque cibum, velut fungos ſumpſit; comparandus cum alio, cujus præcordia mordax medicamentum ferit, aut cutem nudam. *Sc.* vel bilis eſt, vel in bilem cadit, aut bilem facit cauſa, venenum, fermentum, veniens ab extra.

Notabiles tandem ſunt rationes Fernelii, quibus ſedem rigorum & horrorum febrilium fundat circa ventriculum, diaphragma, jecoris cava, lienem, pancreas, omentum aut meſenterium. Partim enim ad experientiam provocat, quòd acceſſionis initio humidi fotus aptè calentes præcordiis impoſiti, maximè verò lieni in quartanâ, jecori in tertianâ, aut alii cuicunque ſedi fomes ineſſe deprehendetur, horrorem leniant, mali fontem demulceant; partim in prima illâ regione annotat eſſe publicam quaſi corporis ſentinam, in quam omnis confluat humorum colluvies. Inſuper conſiderat illas partes in præcordiis ob membranas quibus ſepiuntur & nervos à ſextâ (tum temporis ita dictâ) conjugatione deductos non modò eximio ſenſu præditas, ſed & magnâ ſocietate tum principibus tum externis partibus connexas. Sic tandem acceſſionis phænomena, tuſſis ſicca, oſcitatio, ſuffocatio, anxietas, præcordiorum diſtenſio ac dolor, nauſea, (ſub rigoris finem) vomitus, albæ tenueſque urinæ (nam futuræ rubræ craſſæ bilis portioni in venas irrumpenti debentur) arguunt acrem & turgentem bilem impetu ferri in præcordiorum membranas. Ut ita ex imo ventre primariò afficiatur genus nervoſum, venoſum conſequenter, & fiat niſus introrſum per principium paroxyſmi ſpaſmodicum.

Tantum de his per modum tentaminis ad paralleliſmum: Quod reliquum eſt occupent hæc affinia

COROL-

COROLLARIA.

I.

Quanquam Galenus in febribus univerſis ad urinas præcipuè attendendum monuerit, febris inde ſpeciem & totius morbi tempora docuerit; ſedimentum earum cum coctione puris comparârit, ſub reſpectu ad naturam tam in febribus quàm inflammationibus vel ſuperantem, vel ſuperatam; Virgulam tamen cenſoriam experitur Georg. Hieron. Welſchii *in Cur. propr. dec. ob id, quòd urinarum ante & poſt paroxyſmos miſſarum diſcrimen, tanquam τριταιογενῶς intermittentibus febribus commune & proprium, non ſatis determinarit: Eas ſc. paroxyſmi tempore minus coloratas, interdum prope naturales, conſpici, diebus autem intermediis extra illum rufeſcere, ſedimentum continentes bolo armeniæ non diſſimile; ſive ægro ſe habente benè, urinam videri malam.*

II.

In textum 23. libr. 6. Sect. 5. Epid. Hipp. *Quæcunq; tertianæ naturam habent, his nox ante acceſſionem moleſta eſt, Galenus ita commentatur; In omnibus fermè tertio quoq; die acceſſionem habentibus febribus, præter exquiſitas tertianas, nox ante acceſſionem reverà moleſta eſſe ſolet. Quod ſi & in exactis tertianis id nonnunquam eveniat, judicationem ſequenti die futuram portendit, potiſſimumq; ſi & reliqua futuræ judicationis indicia conſentiant.*

III.

Phænomeni Hippocratici ex libr. 6. epid. ſect. 8. §. 28. *Febres in quibus labia ulcerantur æqualiter intermittunt, ac tertianis refrigerationes ſunt, Galenus rationem quærit in vapore acri, qui illuc à vehementiâ febris aman-*

amandatur, parteſq́ illas quaſi ardore qnodam conſumit. Pechlinus *critici quid in eo exanthemate obſervans, aliquid tamen difficultatis in hoc agnoſcit, cur potiſſimum ad os ſe convertat & labia, hinc quærit: An, ſi jocari licet, eâ parte, quâ peccatum eſt, expiari noxa debet?*

IV.

Ad aph. 59. ſ. 4. *(Tertiana exquiſita ſeptenis circuitibus, quod longiſſimum eſt, judicatur.) commentatur Galenus, tum in quartanis tum in tertianis fieri judicationem ad numerum circuituum, non dierum; Et* Heurnius: *Qualis eſt dierum ratio in continuis, talis eſt ratio periodorum in intermittentibus. Sic ferè ſtatum habet quartâ acceſſione.*

V.

Quia illa tertiana non eſt exquiſita, nec ſui naturam puram ſervat, quæ non habet flavam bilem redundantem & motam, nec prætereà tempus æſtivum & locum, & ætatem, & temperaturam tempori ſimilem, ex commentario citati modò aphoriſmi, *patet igitur, ſpuriarum ſive notharum eſſe multas; Et ex his autumnales, æſtivis jam olim contradiſtinctas ab Hippocrate, tanquam magis ferinas, ſive ob vermes, ſive ob omne malignum vitium, ita prædicatum illud explicante Pergameno in comm. epid. lib. 2. ſect. 1. & lib. 6. ſect. 1:* Ubi *annus ad veſperam ſuos morbos, & dies ad veſperam ſua initia exacerbationum habere, ſive dies toti anno; atq́ adeo veſperi autumnus proportione reſpondere traditur, ut, quale eſt acerbari veſperi, magis quàm aliis horis diei, tale ſit ipſius morbi, i. e. autumnale, quod anni tempus paſſim male audit Coo; qui loc. cit. geneſin autumnalem & motum veſpertinum aſcaridum videtur conjungere. Conſulatur* Valleſius *commentator.*